
Sursum crescens
185
Ex libris Em: Hübner.

GAI GRANI LICINIANI

ANNALIVM

QVAE SVPERSVNT

EX

CODICE TER SCRIPTO

MVSEI BRITANNICI LONDINENSIS

NVNC PRIMVM EDIDIT

KAROLVS AVG. FRID. PERTZ

PHIL. DR.

ACCEDIT TABVLA.

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMER

MDCCCLVII.

VIRIS SVMMIS

REVERENDISSIMIS PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMIS

MVSEI BRITANNICI

CVRATORIBVS

GRANI LICINIANI HISTORIARVM

RELIQVIAS

EIS ADNVENTIBVS

POST ·XVIIII· FERE SAECVLA LVCI REDDITAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

EDITOR.

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO.

CAPUT I.

DE PRIMA LIBRI MANU SCRIPTI INDAGATIONE.

Auctumno anni 1853 quum Georgius Heinricus pater Londini mecum in Museo Britannico libros manu scriptos ad historiam Germaniae pertinentes evolveret, accidit ut V. Cl. Paulus Bötticher Phil. Dr. qui eodem tempore ibidem Syrios codices tractabat, librum saeculo undecimo conscriptum nobis adferret, quem in catalogo MSS. palimpsesti nomine signatum invenerat et quem scripturae vetustioris erasae vestigia quaedam exhibere adfirmavit. Quo libro accuratius inspecto, mox non semel rescriptum esse et fragmenta illum ad historiam Romanam pertinentia continere pater intellexit; quamvis enim perpaucis tantum locis scripturae specimen discerni posset, tamen vocibus SULLANI et CAPITOLIUM, denique SACERDOTIO MARTIS vel nudis oculis investigatis, historicum Romanum quendam adesse dubitari non poterat. At vero tunc temporis accuratius codicem tractandi occasionem nactus non est, nam et dies quo Berolinum redire sibi proposuerat proxime adstabat, neque reagentiis ut dicunt chemicis ullum librum tangere, nisi speciali Curatorum Musei Britannici auctoritate instructo concedunt leges.

Itaque quum anno 1855 exeunte iterum Londini moraretur, veniam illam nactus pater decem fere dies, inde a sexto decimo Octobris usque ad finem eiusdem mensis, in describendo codice

consumpsit, eodemque temporis spatio foliorum VIII recti et I versi[1] maximam partem, folii vero IV versi[2] aliquot saltem vocabula et singularum praeterea paginarum titulos, qua solet religione investigatos descripsit. Sed absentiae venia iam ad finem vergente in patriam reversus, felici ave susceptum opus etsi imperfectum relinquere cogebatur, tamen, ut ad idem absolvendum alios incitaret, statim post reditum, die prima Novembris[3], Academiae Regiae sodalibus quae transscripserat fragmenta proposuit.

Paucis deinde mensibus elapsis ubi patrem, qui unus forte tanto labori par est, proximo tempore in Angliam profecturum non esse intelleximus, ne gravissimus auctor iusto diutius in obscuro remaneret, nosmet ipsos ad negotium illud pro virili parte producendum succinximus. Quare, Musei Britannici summi antistites quum petitioni nostrae humanissime adsensum praebuissent, laborem ipsis Kalendis Martiis anni 1856 inchoatum et non sine multis intervallis usque ad diem undecimum mensis Junii productum, illo tandem tempore feliciter quoad vires sufficiebant absolvimus.

His igitur de prima codicis investigatione praemissis, iam ad descriptionem ipsam transeamus.

CAPUT II.

DESCRIPTIO CODICIS.

Grani Liciniani fragmenta ex monasterio sanctae Mariae Deiparae, quod in deserto Nitriae ad septuagesimum circa lapidem ab urbe Cairo, occidentem versus et septentrionem, situm est, una cum aliis manuscriptis numero fere quingentis anno 1847 in Museum Britannicum delata sunt. Amplectitur autem codex ille, numero signatus 17,212, formae quadratae membranaceus, folia tredecim,

1) Cfr. infra pag. 10 et 11. 2) infra pag. 24. 3) Monatsberichte 1855, pag. 668.

quae olim quaterniones 10^{mum} et 11^{mum} integri codicis Syrii iam deperditi, ut videtur, efficiebant, latitudinem habentia pollicum Parisiensium sex, altitudinem vero $8\frac{3}{8}$ usque ad $8\frac{1}{4}$, quorum margo exterior saepissime avulsus est, semel etiam interior desideratur. Continet Homilias quasdam sancti Chrysostomi, manu saeculi undecimi Syriis litteris conscriptas, sub quibus tamen adiumentis chemicis adhibitis aliae scripturae et multo quidem vetustiores duae apparuerunt.

Quarum alteram litteris quas dicunt cursivis saeculo ut videtur quinto exaratam[1], Grammatici cuiusdam Latini fragmenta exhibere iam ea ex re patet, quod duae saltem paginae hosce titulos ostendunt: *De Verbo* et *De Adverbio*. Quisnam vero auctor ille fuerit ignoramus, quum nominis eius vestigia indagari nusquam possint. At tamen haud magnae illum auctoritatis esse inde facile colligitur, quod teste V. Cl. Eduardo Bond, qui scriptorem nostrum paullo accuratius inspexit — nam ipsi Granio tantum adtendentes nonnisi obiter illum tractavimus — Juvenalis poetae et Martialis nomen ab auctore isto laudantur. Qua ex re et post initium saeculi secundi eum scripsisse et saeculo quinto recentiorem non fuisse sequitur.

Tertia denique scriptura duabus antecedentibus longe antiquior Grani Liciniani Annalium Romanorum fragmenta exhibet, litteris maiusculis conscripta. Singulae paginae binis columnis exaratae viginti quatuor versus continent suisque titulis olim ornatae erant, qui tamen hodie non omnes discerni possunt. Sed de his aliisque quae huc spectant iam sequentibus capitibus accuratius nobis disputandum erit.

1) Vide scripturae specimen in fine libri subiectum.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE SCRIPTURAE.

Trium igitur, de quibus diximus, codicis scripturarum una tantum quae Chrysostomi homilias Syriis characteribus confectas exhibet legi poterat, duabus vetustioribus tanta diligentia cultello erasis, ut annalium certe a Granio nostro conditorum, si perpauca tantum loca excipias, vestigia fere nulla adsint. Quare ad litterarum ductus restituendos liquore ammonii sulphurati usus sum, qui inter remedia chemica quae novimus omnia facile primum locum obtinet, quum et valde efficax sit neque tamen membranas laedat[1]. Illo igitur adhibito veteris scripturae ductus statim apparuere, et primo quidem Licinianus, tum sequenti temporis momento grammaticus, ita ut opportuno isto tempore non praetermisso singulae litterae paullo accuratius indagari possent. Utriusque enim scripturae apices restituti quum eodem fere colore imbuti esse videantur, singuli ductus utri potissimum tribuendi essent haud facile erat diiudicare. Nam saepissime alterius manus vestigia religiose ab altera pressa sunt, nec raro Syrius etiam scriba apices suos crassiores ac nigerrimo atramento exaratos super inlinivit[2].

At remedium illud chemicum, quod adhibuimus, ad scripturae restitutionem haud raro minus validum se praebuit. Etenim omnium fere foliorum altera pagina ammonio sulphurato inlinita perlegi poterat: altera vero, et ea quidem quae olim carni proxima fuerat, quum mollior esset neque cultro scribae resisteret, haud semel litterarum vestigia nulla retinuit. Quare vereor ne his saltem paginis remedium satis efficax adferri nequeat, quod aliis certe in locis summo cum

1) Eius formula chemica haec est: $N^2H^8S \cdot$ aqua x; cfr. etiam Pertz, Archiv der Gesellschaft für ältere Deutsche Geschichtskunde tom. V pag. 512. 2) Vide scripturae specimen quod infra subiunximus.

fructu fieri posse non dubito, qui etsi ammonio quo usi sumus minus adficiuntur, tinctura tamen alia adhibita melius forsitan investigari poterunt. Quam ad rem perficiendam tinctura quam Giobertinam vocant primo loco tentanda erit, quamvis haec ut maxime valida membranas interdum laedat, neque ob id ipsum remedio illo uti nobis concessum sit. Formula eius chemica haec est: Cfy + 2K vel CyK + CyFe[1].

Ex hisce rebus omnibus quum iam satis appareat, antiquissimam illam de qua agimus scripturam haud levi opera restitui posse, perlustrationi codicis rescripti coeli Britannici, ac praesertim Londinensis, natura quam magno sit impedimento, quis est quem fugiat? Nam in eiusmodi negotiis si quidquam proficere vis, plenissimo lumine opus est: nos vero, dum Londini moraremur, continuis fere imbribus nebulisque obruti, vel medio diei tempore ad lucernas confugisse recordamur. Itaque haud semel accidit ut idem locus, si ad eum denuo accederemus, litterarum formas exhibere nobis videretur ab iis ductibus toto coelo abhorrentes, quos prioribus diebus ibidem distinxisse opinati sumus. Accedit quod formae complurium apicum simillimae sunt, ita ut haud facile dignoscantur, superscriptis praesertim aliis litteris de quibus supra disputavimus. Jam vero ad novam quaestionem accedentes de ordine foliorum pauca disseramus.

CAPUT IV.


DE ORDINE FOLIORUM.

Constat liber manuscriptus, quod iam antea diximus, foliis membranaceis tredecim, quorum tamen duodecim tantum rescripta sunt. Haec ubi primum anno 1853 nobis occurrere omnia cohaerebant, ita ut unum volumen constituerent; nec aliter se habebant anno 1855,

1) Cfr. Plini H. N. ed. Sillig, Tom. VI, pag. IX.

quo tempore pater ea tractavit. Is enim codicem nostrum talem in modum compactum esse intellexit, ut octo quidem folia priora integrum quaternionem efficerent, reliqua vero quatuor numero, quae nulla inter se continentia coniungebantur, a bibliopego vetere adglutinata essent. Qui quidem, duabus prioribus scripturis erasis, ut Chrysostomi homilias eo melius superscribere posset nonnumquam folia invertit: ita ut quae pars inferior folii antea fuerat iam superior esset[1], et duorum foliorum cohaerentium ordo etiam inverteretur, quum folium illud quod prius esse debebat posteriorem locum occuparet. Hoc autem hisce foliis accidit: I et VIII, III et VI, IX et X, XII; reliqua folia pristinum ordinem conservarunt.

Singula igitur codicis folia hunc in modum cohaerebant:



folium IX praeterea cum folio X coniunctum erat, reliqua vero, folium scilicet XI et XII, quum minus inter se cohaererent, glutine compacta prioribus adiungebantur. Eorum autem inscriptiones, quoad quidem a patre investigari poterant, sunt sequentes:

fol. I quum inverse ut supra diximus inscriptum sit, margine inferiore hanc signaturam exhibet: LICINIANI.

fol. VIII inscriptionem nullam exhibet.

fol. II^{b} recte exaratum, superiore margine eodem nomine signatum est: LICINIANI.

fol. VII margine superiore signatum LIB. XXXV.

fol. III margine inferiore - LICINIANI.

1) Idem etiam a grammatico antea factum est; qua ex causa haud raro accidit, ut litterae primae atque tertiae manus (h. e. Licinianus et Chrysostomus) recte, litterae autem secundae manus (grammaticus) inverse scriptae inveniantur.

fol. VI^b	margine inferiore	signatum	LIB. XXXV.
fol. IV^b	margine superiore	-	LICINIANI.
fol. V	margine superiore	-	LIB. XXXVI.
fol. IX	margine inferiore	-	[GAI] GRANI LICINIANI.
fol. X^b	margine inferiore	-	LIB. XXVIII.
fol. XI	margine superiore	-	LIB. XXVI, vel XXVII.
fol. XII^b	margine inferiore	-	LIB. XXVIII.

Haec igitur auctumno anni 1855 pater investigavit; nos vero, quum ad codicem accederemus, eius loco singula tantum folia conspeximus, interciso bibliopegi manibus vinculo quo antea cohaerebant. Novis praeterea numeris signata erant, ita ut — quod talibus in rebus summum est — pristinum foliorum ordinem restituere non sine labore nobis successerit. Et de uno alterove folio etiam nunc dubitamus, quemnam locum olim obtinuerit: quippe qui non semper eosdem paginarum titulos, quos pater vidit, investigaverimus.[1]

Quare vetus illa foliorum signatura numeris novissime additis ita fere respondere videtur:

Ordo pristinus	Numeri recentes	Ordo pristinus	Numeri recentes
fol. I	8	fol. VII	3
fol. II	7	fol. VIII	1
fol. III	6	fol. IX	4
fol. IV	5	fol. X	10
fol. V	12	fol. XI	11
fol. VI	2	fol. XII	13;

1) Inscriptiones foliorum, quas investigare potuimus, hae sunt: fol. 1 titulum nullum exhibet; fol. 2 r. tit. habet: LIB. XXXV; fol. 3 r. signatum est: LIB. XXXV; fol. 4′ sign.: LICINIANI; fol. 5′ sign.: C. LICINIANI; fol. 6′ sign.: LICINIANI; fol. 7′ sign.: LICINIANI; fol. 8′ sign.: LICINIANI; fol. 9 rescriptum non est; fol. 10 r. sign.: LIB. XXVIII; fol. 11 r. sign.: LIB. XXVI; fol. 12 r. sign.: LIB. XXXVIII; fol. 13 sign.: LICINIANI.

folium denique XIII, quod rescriptum non esse diximus, iam numero 9 signatum est.

Quae quum ita sint, duodecim foliorum series qua legi debent talis est:

fol. XI r.	iam numero	signatum	11,	fragmentum	continens libri	XXVI.
fol. X^b	-	-	10,	-	-	XXVIII.
fol. XII^b	-	-	13,	-	-	
fol. VIII r.	-	-	1,	-	-	XXXIII ?
fol. I^b	-	-	8.	-	-	
fol. VI^b	-	-	2.	-	-	XXXV.
fol. III^b	-	-	6.	-	-	
fol. VII r.	-	-	3.	-	-	
fol. II r.	-	-	7,	-	-	
fol. IX^b	-	-	4.	-	-	XXXVI.
fol. IV r.	-	-	5,	-	-	
fol. V r.	-	-	12,[1]	-	-	

Folia inter VIII^b et I^b duo folia exciderunt; fol. VI et III, VII et II, IV et V, spatio nullo interiecto sese invicem excipiunt: reliqua folia non cohaerent.

CAPUT V.

DE FORMA ET COMPENDIIS LITTERARUM.

Conscriptus autem est codex noster, ut iam antea diximus, litteris maiusculis fere quadratis, quas capitales vocant, quarum non paucae tamen formas unciales atque recentiores ostendunt. Quum enim litterae B, C, I, K, N, O, S, U, Y proxime ad normam capitalium accedant, quippe quae fere quadratae sint neque lineam ulla ex parte excedant — exceptis solummodo litteris B et Y, et

1) Folium V, quo res Antiochi Epiphanis exponuntur, non tam in fine quam post fol. XI, ni fallor, collocandum et libro XXVIII tribuendum est; attamen quum, si patrem sequimur, iam numero XXXVI (secundum nostram lectionem XXXVIII) signatum sit, nos e loco suo amovere eo minus ausi sumus, quod cum fol. IV proxime antecedente arctissime olim cohaerebat.

vix exceptis, quum ne hae quidem multum transgrediantur — reliquae, A scilicet et D, E, F, G, H, L, M, P, Q, R, T, X, Z litteris uncialibus sine dubio adnumerandae sunt[1]. Singulae litterae, ut solet, aequis fere spatiis interiectis ita exaratae sunt ut, verborum ac sententiarum ratione penitus neglecta, proxime antecedentem sequens vinculo nullo addito excipiat. Neque magis interpungendi signa occurrunt, si duos tamen locos excipias (fol. VI recto col. B, vers. 13 et 15[2]), ubi scriba puncto et virgula usus est; denique numeros semper fere punctis ab ipsa narratione segregari indicasse sufficit[3]. Quibus ex rebus omnibus veri simile est, codicem nostrum saeculo post Christum secundo aut saltem tertio conscriptum esse, ita ut aequo fere temporis spatio a fragmento illo T. Livi, quod a. 1848 pater investigavit[4], et Plini codice rescripto, a Fridegario Mone nuper edito[5], distare videatur.

Litteris contignatis saepius scriba usus est, praesertim in fine versuum, quarum formae praestantissimae hae sunt:

Æ (ae) pag 15, 19; 18, 15; ibid. col. B, 21;
B^{S} (bus) pag. 16, 3;
B̦ (bi) in SABINIS pag. 10, 4;
NE (ne) pag. 10, B, 7; 15, 24;
N̦ (ni) pag. 10, 4;
NT (nt) pag. 4, 20; ibid. col. B, 6; 18, 22; 24, 8; ibid. col. B, 15;
OR (or) pag. 6, B, 2; ibid. vers. 5; 14, 6; 20, 2;
O^{S} (os) pag. 4, B, 5 et 11, B, 12; DUO^{S} (duos) pag. 26, B, 12; MEDO^{S} (Medos) pag. 19, 23;
Ro (ro) pag. 21, 3;
UE (ue) pag. 6, 12; 26, 15;
UG (ug) pag. 14, 6;
UI (ui) pag. 14, 12; 21, 6;
UL (ul) pag. 11, B, 10;
UNC (unc) pag. 21, 12;
UNT (unt) pag. 10, 19;
U^{O} et UO (uo) pag. 11, B, 7 et 18, 10;
^{U}S (us) pag. 11, 18; 12, B, 9; cfr. COGNITIONIB^{V}S pag. 7, 24; CONS^{V}LUM pag. 6, 1; ID^{V}S pag. 21, 6; PHILIPP^{V}S pag. 23, 2; Q^{V}A[SI] pag. 10, 1; Q^{V}ORUM pag. 19, 8; Q^{V}OS pag. 4, B, 5; UOCAT^{V}S pag. 11, 4.

1) Vide scripturae specimen. 2) vide infra pag. 14. 3) Semel punctum contra sensum posuit, scripsit enim NOC·TU pro noctu; cfr. pag. 21 col. B, 19. 4) Ueber ein Bruchstück des 98sten Buches des Livius von G. H. Pertz. Berlin, bei G. Reimer, 1848, in 4to. 5) Plini Naturalis Historia ed. Sillig, tom. VI, Gothae 1855.

Rarius in scribendo *compendia* adhibuit eaque nonnisi usitatissima, sunt enim fere haec:

B· = bus saepissime occurrit;
Q· = que; e.g. EADEMQ· (pag. 10, 22); NEQ· (p. 10, 13); ADQ· (p. 10, B, 13); EQ·S = eques (p. 21, 3);
Q· = quis; cfr. NEQ· = ne quis (pag. 10, B, 18);
SED· = sedit (pag. 10, 2);
P· = publicus, a, um; e.g. REM P. = rem publicam (cfr. pag. 6, 16; pag. 11, B, 10);
PL· = plebis (cfr. pag. 23, B, 9);
R· = Romanus (pag. 20, B, 20);
TR· = Tribunus (cfr. pag. 23, B, 9);
COS· = consul (pag. 10, B, 9);
AUREL· = Aurelius (pag. 11, 1);
C· = Caius (pag. 23, 5);
C̄N· = Cneius (pag. 6, 1; 10, B, 4);
L· = Lucius (pag. 10, B, 7; 23, 2);
M· = Marcus (pag. 11, 1).

Denique virgulam (~) litteris vocalibus saepissime superscriptam videmus, ita ut Ã, Ẽ, Õ, Ũ pro am, em, om, um usurpatum sit.

CAPUT VI.

DE ORTHOGRAPHIA CODICIS.

Quod vero ad orthographiam attinet, scriba codicis vulgarem scribendi rationem haud raro mutavit, et ita quidem ut non solum vocales litterae, verum etiam consonantes quas dicunt confundantur. Cuius rei exempla haec sunt:

1. *Vocalium permutatio.*

Ponit *ae* pro *e* in verbis: pr*ae*catus (= precatus) pag. 14, B, 20; inpr*ae*catus (= imprecatus) ibid. vers. 21; contumelios*ae* (= contumeliose) p. 11, B, 16; pr*ae*tia (pretia) p. 6, 12; Arch*ae*lavus (= Archelaus) p. 18, B, 22; qu*ae* (= que) p. 14, B, 23 et p. 26, 9;

- *e* pro *ae* in: *e*quus (= aequus) p. 6, vers. 13 et 14; Abder*e* (= Abderae) p. 18, B, 9; Nol*e* (= Nolae) p. 21, B, 14; F*e*sulani p. 24, 3; pr*e*staret p. 19, 15;
- *i* pro *u* in: mon*i*mento (= monumento) p. 23, vers. 7; rec*i*peravit (= recuperavit) p. 6, B, 1;
- *i* pro *y* in: Dor*i*lao (= Dorylao) p. 18, vers. 11; N*i*sa (= Nysa) p. 20, B, 1;
- *o* pro *u* in: quom (= quum) p. 21, B, 18 et p. 23, vers. 15.

2. *Consonantium permutatio.*

Scribit *b* pro *p* in: conscri*b*sit pag. 13, B, 11; proscri*b*tos p. 21, B, 8; sed e contra scribit etiam: subre*p*serat p. 13, B, 23;
- *d* pro *t* in: a*d*que (= atque) p. 10, B, 13 et saepius; aliquo*d* (= aliquot) p. 10, 20 et p. 16, 1; reliqui*d* (= reliquit) p. 6, B, 4;
- *t* pro *d* in: apu*t* p. 20, B, 19;
- *s* pro *c* in: con*s*iderunt (= conciderunt) p. 21, B, 12;
- *v* pro *b* in: ta*v*ernaculi (= tabernaculi) p. 15, B, 23; *v*alneas (= balneas) p. 26, vers. 13 et 14 (bis); *v*enigne (= benigne) p. 20, B, 21.

Praepositiones *ad* et *con*, nec non *in* ac *sub*, ubi cum aliis verbis componuntur consonantes suas immutatas retinent, e. g. a*d*gnovit pag. 14, B, 17; co*n*loquium p. 19, B, 5; i*n*latus p. 23, 16; i*n*perfecta p. 26, B, 24; i*n*petus p. 4 vers. 1; i*n*positam p. 7 vers. 5; i*n*praecatus p. 14, B, 21; su*b*movit p. 11, B, 16.

Denique notandae sunt formae: Archela*v*o p. 18, B, 12; Arch*ae*la*v*o ibid. vers. 22; Ariobar*di*anen (= Ariobarzanem) p. 19 vers. 19.

Saepius etiam *litteras* et consonantes et vocales aut *duplicavit* aut omnino *addidit:* et ita quidem, ut in fine verborum primam sequentis verbi repeteret, quam rem etiam in libris manu scriptis recentioribus saepissime occurrere satis constat. Cuius duplicationis litterarum exempla adponam haec:

scribit di*rr*uit (= diruit) pag. 16 vers. 15; iun*c*xit (= iunxit) p. 15, 24; aetate*m* *m*aiorem (= aetate maiorem) p. 6, B, 19; anno*s* *s*uperiore (= anno superiore) p. 21, B, 13; contione*m* *m*agna (= contione magna) p. 23, B, 13; et invicem: qu*o* *s*ubsidio (= quos subsidio) p. 14, 18.

Litterae desiderantur in vocibus: *e*ris (= heres) p. 7 vers. 19; ex*i*buerat (= exhibuerat) p. 21, B, 1; sed e contrario legimus etiam: *h*oras (= oras) p. 10, B, 20; litterae deinde exciderunt in: ex*t*ructo (= exstructo) p. 14, B, 18; dis*i*cerant (= disiicerant) p. 23 vers. 8; mod*i* (= modii) p. 23, B, 21; ne dicam de forma genitivi nominum Pompe*i*, p. 14, B, 16; Gran*i*, p. 22 inscript.; Manil*i*, p. 10, B, 10. Denique scribit: adsensast (= adsensa est) p. 23, B, 13; et: mortuast (= mortua est) p. 20 vers. 24.

Lapsus calami et aperta vitia paucos in codice nostro invenimus, ut: hab*u*eret (= haberet) p. 6, B, 24; advent*a*tium (= adventantium) p. 10, B, 14; peterat (= petierat) p. 13 vers. 10; subvenire*n*t (= subveniret) p. 14, B, 13; negab*u*nt (= negabant) p. 15 vers. 14; praesideb*a*t (= praesidebant) p. 18, B, 9; denique verba: n e c a t i s r e l i q u i s bis exarata sunt pag. 19 vers. 4 et 5.

CAPUT VII.

DE GRANIO LICINIANO ANNALIUM SCRIPTORE.

Singulari quadam Fortunae iniquitate accidit, ut de Granio nostro, cuius opus per tot saecula tenebris vere Aegyptiacis abscondebatur, sciscitantibus nobis apud veteres scriptores vix una alterave eius mentio occurrat, ita ut vel de aetate hominis certum quidquam constituere haud facile esse videatur. Etenim Granium Licinianum duo tantum auctores memorant, Macrobius scilicet et Servius. Quorum alter libro I. Saturnal. cap. 16 (pag. 281 edit. Bipont.) haec profert: *Causam vero huius varietatis apud* Granium Licinianum libro secundo *diligens lector inveniet. ait enim 'nundinas Iovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Iovi arietem soleat immolare; sed lege Hortensia effectum ut fastae essent, uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent'*. Et Servius in commentario ad Virgil. Aeneid. lib. I, vers. 737 (tom. II, pag. 110 ed. Lion): *Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus. 'Denique femina, quae sub Romulo vinum bibit, occisa est a marito: Mecennius*[1] *absolutus, id enim nomen marito'*[2]. *sic* Granius Licinianus[3] coenae suae quinto[4].

Deinde vero, ut Granium praeconem[5] et alium quendam medicum[6] taceam, a nostro toto coelo diversos, nomen Grani saepius apud Arnobium occurrit. Scribit enim libro III. adversus

1) *Mecentius, Metenius, Methenius, Metennius, Mezeinus, Metellus* codd.; *Mecennius* exhibet Valer. Maxim. lib. VI, cap. 3, §. 9 qui eandem historiolam narrat. 2) Burmannus in Virgilii editione et in Servio Albertus Lion non tam haec verba quam sequentia Granio adiudicavere, verba scilicet: *In historiis lectum est Romanorum, vini usum Romanis feminis ignotum fuisse, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur.* Haec autem, ut recte vidit V. Cl. Mauritius Haupt, nonnisi a grammatico quodam sive scholiasta addita sunt, neque vero in prima Servii editione occurrunt quam anno 1636 P. Daniel curavit. 3) *Lucianus* falso scripsit Daniel. 4) *Coenae suae Quinto* desideratur apud Danielem. 5) de hoc cfr. Ciceron. in Bruto cap. 43, §. 160 et cap. 46, §. 172; de Oratore lib. II, cap. 70, §. 281 et §. 282; orat. pro Planc. cap. 14, §. 33; Gellium lib. IV, cap. 17. 6) vide Plin. N. H. lib. XXVIII, cap. 4, §. 9 et tom. I, pag. 77 init. ed. Sillig.

gentes cap. 31 [1]: *Aristoteles, ut* Granius *memorat, vir ingenio praepotens atque in doctrina praecipuus, Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat et litterata auctoritate demonstrat.* Et ibidem cap. 38 [2]: *Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos* Granius *Musas putat, consensum accommodans Aelio.* Idem paulo infra [3]: *Si enim Pisonis sententia vera est, Aelius et* Granius *mentiuntur; si quod dicitur ab his certum est, peritissimus errat Varro.* Denique libro VI, cap. 7 [4]: *Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus,* Granius, *Valerianus vobis et Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius* etc. His adnumerandus est Festus s. v. *rica* (pag. 277 A vers. 6 ed. O. Müller): Gran[ius] *quidem ait 'esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur'.*

Qui quidem loci omnes, ni fallor, ad eundem scriptorem pertinent aut grammaticum aut forte historiarum scriptorem, quem Granium Flaccum Macrobius appellat. Scribit enim libro I Saturn. cap. 18: *item Boeotii, Parnassum montem Apollini sacratum esse memorantes, simul tamen in eodem et oraculum Delphicum et speluncas Bacchicas uni deo consecratas colunt, unde et Apollini et Libero patri in eodem monte res divina celebratur. Quod cum et Varro et* Granius Flaccus *affirment, etiam Euripides his docet* etc. De huius autem aetate alius locus nos certiores reddit apud Censorinum de die natali cap. 3 [5]: *Eundem esse genium et larem multi veteres memoriae prodiderunt,* in quis etiam Granius Flaccus in libro quem ad Caesarem de indigitamentis scriptum reliquit.

His igitur locis si eundem scriptorem indigitari conceditur — neque vero in verbis quae attulimus quidquam inesse videtur, quod talem coniecturam subvertere possit, quippe quae de iisdem fere

1) pag. 118 edit. Lugd. Batav. 1651 in 4to. 2) ibid pag. 122 vers. 5. 3) ibid. pag. 122 post medium. 4) ibid. pag. 194 ante medium. 5) ed. O. Jahn, pag. 7 vers. 4.

rebus tractant, ita ut ab eodem auctore ea conscripta esse facile credamus — iam videndum est, si forte Granius Flaccus a Granio Liciniano diversus sit. Quam rem cur non statuendam esse contendimus perspicuum est. Locus enim ille quem ex Festo deprompsimus: *Granius quidem ait 'esse muliebre cingulum capitis quo pro vitta Flaminica redimiatur'* quam bene consentiat cum loco illo apud Macrobium, Saturn. I cap. 16: *ait enim 'nundinas Jovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare'* etc. quis est quem fugiat? Quorum alter cum Granio tribuatur quem a Granio Flacco diversum non esse supra, non dico probavimus, sed probabile esse diximus, alter vero Granio Liciniano: iam proxime ad veritatem accessisse nobis videbimur, si Granium etiam Flaccum revera unum esse cum Granio Liciniano statuerimus.

Quae si vera sunt, de tempore quo auctor noster floruerit, dubitari non potest, si modo Censorinum respicimus, qui l. c. Granium Flaccum librum de indigitamentis ad Caesarem scriptum reliquisse tradit. Jam igitur videndum est, si ex ipsis Annalium fragmentis Granium Licinianum hoc ipso C. Julii Caesaris tempore floruisse comprobari poterit.

Qua in re ex voto nobis succedit, quod unum saltem locum in fragmentis invenimus, qui aetatem scriptoris ex una parte certis finibus circumscribit. Legimus enim folio IV r. (pag. 23 vers. 18 sqq.): *Sallusti opus nobis occurrit; sed nos, ut instituimus, moras et non urgentia omittemus. Nam Sallustium non ut historici sunt, sed ut oratorem legendum* etc. Hanc autem Sallusti mentionem sub anno fecit a. U. c. 676 (a. Chr. n. 78): eam ob causam, quia eodem anno Historiarum libri incipiebant[1]; itaque Sallusti opus, quo tempore Licinianus res anno

1) cfr. Sallust. Histor. lib. I, fragm. 1: *Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo coss. ac deinde militiae et domi gestas composui.*

676 gestas composuit et absolutum fuisse et auctori nostro pernotuisse sequitur — nisi forte Granium, quum iam antea opus suum conscripsisset, Sallusti mentionem postea intulisse statuendum erit. Quae utut se habent, tamen perspicuum est, Annales nostros certe non ante annum a. U. c. 714 vel 715 (a. Chr. 40 vel 39), confici potuisse, quo tempore Sallustius Historias scribere aggressus est[1]; quin etiam veri similius videtur, eos aliquot saltem annos postea, et fortasse etiam post mortem Sallusti, sive post annum a. U. C. 720 (a. Chr. n. 35), conditos fuisse, etsi verba Liciniani: *Sallusti opus nobis occurrit* certum temporis momentum non indicant.

Constat igitur Annales, de quibus agimus, post Sallusti opus editos fuisse; neque vero recentiores esse quam Titus Livius statuendi sunt. Nam et stilus, etsi vigorem habet et iucunditate quadam impletus est, incomptus tamen atque durus: ita ut haud facile credi possit, Grani libros, post Livium editos, vel unum alterumve lectorem sibi comparaturos fuisse. Accedit, quod ratio illa, qua Granius noster in historia conscribenda utitur ea est, quae non tam causas et eventus rerum gestarum explicat easque secundum nexum qui intercedit continua oratione legentibus exponit, quam singulas pro tempore quo gestae sunt suis annis distribuit, ita ut non Historias sed Annales potius conscripsisse noster iudicandus sit. Eadem vero ratione ante Livium, si Sallustium cum aliis paucis excipias, historici Romani res gestas populi omnes tractavere: quemnam autem putas lectorum post Livium tam frigido exilique opere delectari potuisse? quemnam denique scriptorem ita temerarium, ut tam ingentem laborem susciperet, si historias Titi Livi antea perlegisset? Denique nostrum Livio re vera ante oculos fuisse, ni fallor locus ille ostendit, quem infra fol. IX^b de morte G. Papii Mutili[2]

1) Cfr. Sallust. ed. Kritz, Lips. 1856, pag. 24. 2) pag. 43 extr.

Granius adiecit, quemque Livius etiam in Epitome libri 89. exhibet: sed ita tamen, ut Grani narrationem incomptam simplicemque more suo exornatam nobis proposuerit.

Quibus ex causis omnibus quum Granium Licinianum Sallustio quidem iuniorem fuisse, sed ante Livium Annales suos edidisse appareat: iam locus ille, quem e Censorino supra attulimus, quam bene cum hoc consentiat perspicuum est, ita ut de Granio nostro loquutum eum esse veri sit simillimum. His igitur quemadmodum fieri potuit absolutis, restat ut paucis etiam de ipso opere disputemus.

CAPUT VIII.

DE TITULO OPERIS ET QUIBUS TERMINIS CIRCUMSCRIPTUM FUERIT.

Grani Liciniani opus Annalibus non Historiis adnumerandum esse quum iam ex natura eius appareat, tum expressis verbis non uno loco ab auctore ipso comprobatur. Quod enim supra diximus, universum opus ea ratione conscriptum est, ut res gestas omnes non tam pro nexu qui inter eas intercedit coniunctas atque explicatas, sed pro tempore suis annis distributas videamus. Cuius rei unum potissimum exemplum afferendum est, quo ratio illa conscribendi qua Granius noster usus videtur optime comprobari potest. Legimus enim sub anno a. U. c. 649 (a. Chr. n. 105)[1]:

Rutilius cos. collega Manili. *Hoc anno Cn. Pompeius natus est* etc.

qua ex re Granium opus suum per annos disposuisse patet, quum

1) Fol. VIII', col. B vers. 9 sq. (pag. 10). 2) Hoc loco non praetermittendum videtur VV. CLL. Jacobum Bernays et Theodorum Mommsen in talem opinionem nuper incidisse, ut verba illa non ab auctore nostro conscripta sed ab interprete quodam margini postea addita fuisse contenderent, etsi codex antiquissimus proprio ordine ea exhibet. Quam rem ita se habere eo minus concedere possumus, quo magis viri illi doctissimi in eo mecum consentiunt, ut Grani opus Annalium vice conditum fuisse libenter concedant.

verba *Rutilius cos. collega Manili* anni 649 quasi titulum efficiant.[2] Deinde vero quo consilio in Annalium libris usus sit alio loco claris verbis Granius exposuit, illo scilicet quo in Sallustium invehitur; dicit enim fol. IV r. vers. 18 sqq. (pag. 23): *Sallusti opus nobis occurrit; sed nos, ut instituimus, moras et non urgentia omittemus. Nam Sallustium non ut historici sunt, sed ut oratorem legendum: nam et tempora reprehendit sua, et delicta carpit, et convitia ingerit, et dat in censum loca, montes, flumina et hoc genus amovenda, et culpat et conparat disserendo. Verum indico* (?) *genera.* Quibus ex locis omnibus Granium historiae conscribendae talem sibi imaginem animo effinxisse sequitur, ut simplici rerum gestarum secundum ordinem temporum enarrationi a scriptore de suo nihil fere addendum esse statueret, ita ut vel eos qui alia via incedendum sibi putarent, oratores potius quam historicos esse contenderet. His igitur causis permoti auctorem nostrum opus suum *Annales* inscripsisse credimus, eumque titulum fragmentis eius sine ulla dubitatione praeposuimus.

Quae quidem Annalium Grani Liciniani reliquiae quotquot hucusque investigare nobis Fortuna concessit, particulae scilicet librorum XXVI, XXVIII, XXXIII, XXXV, XXXVI, historiam annorum a. U. c. 509 (?) — 676 (a. Chr. n. 245 — 78) complectuntur. Itaque quaerentibus nobis a quonam Urbis tempore scribendi exordium Granius duxerit, ex uno saltem loco statim ab Urbe condita incepisse eum concedendum est. Ut enim locum illum taceam quem apud Servium ad Virgil. Aeneid. I, 737[1] legimus, et quem Granio Liciniano tribuendum esse supra diximus, quippe quod ex Annalibus eius an ex alio potius opere desumptus sit pro certo non affirmaverim, haec

1) Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus. '*Denique femina quae* sub Romulo *vinum bibit occisa est a marito, Mecennius absolutus, id enim nomen marito.*' Sic Granius Licinianus coenae suae quinto.

etiam verba in fragmentis occurrunt:[1] *De ordinibus et nominibus numerisque tribuum atque militum iam in prioribus libris dixi; verum de equitibus non omittam, quos Tarquinius ita constituit, ut* etc. Quibus ex verbis colligitur, Granium nostrum in prioribus libris res gestas regum Romanorum enarrasse, id quod iam ex ipso numero librorum quos conscripsit veri simillimum est. Nam libris Annalium XXVIII—XXXVI quum annos a. U. c. 592—676, hoc est quatuor et octoginta annos, absolverit: horum unus quisque novem fere annorum spatium complectitur. Et si, quod haud improbabile videtur, scriptorem nostrum res sua aetate gestas paullo accuratius tractavisse quam vetustiora statuimus, in libris prioribus I—XXVII, iam deperditis, res Romanas inde ab initio facile percurrere potuit; nam si annos 590 viginti septem libris distribueris, viginti ferre anni singulis tribuendi sunt.

Sed de altero Annalium termino quid statuamus etsi minus constat, tamen Granium nostrum aut G. Julio Caesare occiso, aut demum post Actiacam victoriam scribendo finem imposuisse coniicere licet. Ab exitu enim L. Cornel. Sullae, sive a bello Lepidi, usque ad mortem Caesaris anni effugerunt 33, quos pro ratione ea, quam supra exposuimus, quatuor libris Granius facile complecti poterat. Hoc autem si conceditur, Annales eius integri quadraginta olim libros continebant, quod quidem, ni fallor, magis placet quam altera illa coniectura, ex qua ad pugnam usque Actiacam nostrum processisse statuendum foret, quum ad tale negotium perficiendum 41 saltem libris opus fuisset. Quare nos quidem Grani Liciniani Annales ab Urbe condita usque ad annum 709 (a. Chr. n. 45) productos fuisse credimus.

1) fol. 11′ col. A extr. sqq. (pag. 4).

IX.

GRANI LICINIANI ANNALES QUA FIDE DIGNI ESSE VIDEANTUR.

De auctoritate Annalium Grani Liciniani quaerentibus nobis tria potissimum consideranda sunt: fontes scilicet quibus auctor noster in historia conscribenda usus est; deinde ingenium eius quomodo fuerit constitutum; denique quem finem in scribendo ipse sibi proposuerit: utrum nihil illum nisi veritatem consequutum fuisse dicendum sit, an ira vel studio ductum a vero nonnumquam abscessisse eum videamus.

Itaque quod ad fontes attinet quibus Granius nititur, quum iam ex ipsa re sit veri simillimum permultis eum praecedentium scriptorum libris usum fuisse, tum expressis verbis id confirmat dicens[1]: *equites vero* plurimi auctores *omittebant, nec eòs nominabant.* Singulorum vero quos sequutus sit etsi, excepto uno Sallustio[2], nomina praetermisit, nisi potius iniquitate temporum interiisse ea dicendum est: tamen ex nonnullis Annalium locis de fontibus eorum coniecturam facere licebit. Prodigia enim et ad religionem pertinentia, quae a Granio nostro diligentissime passim adnotata invenimus[3], ex quonam potius fonte effluxisse dicemus quam ex Annalibus Maximis? Eodem modo consulum nomina magistratuumque, quae singulis annis, ut supra ostendimus, superscripta erant, nec non imperatorum triumphos ac reliqua eiusmodi ex ipsis Fastis desumpsisse illum credibile est. Deinde Polybium nostro ante oculos fuisse, ni fallor, locus ostendit qui de Demetrio, Seleuci filio, tractat[4]: quippe qui tantopere cum Polybii verbis consentit, ut alterum ex altero derivatum esse pateat. Quid autem, si historiolam etiam de milite isto, qui bello Octaviano fratrem a se occisum adgnovit[5], et

1) pag. 4 vers. 20; cfr. pag. 29 med. 2) pag. 23 vers. 18 sqq. 3) cfr. fragm. III, pag. 31; IV, pag. 32 sq.; VII pag. 35 etc. 4) cfr. fragm. II pag. 31, et not. 5. 5) pag. 37 extr.

quam ex Cornelio Sisenna Tacitus desumpsit[1], ab illo repetisse Granium dicimus? L. Corn. Sullae deinde commentariis in Belli Mithridatici potissimum enarratione usum fuisse, id quod per se ipsum probabile est, Plutarchi Sulla ostendit; cum hoc enim libro, ex ipsis Sullae commentariis conscripto[2], Annales nostri non semel maxime consentiunt. Tum vero Sallustium Crispum sibi ante oculos fuisse ipse dicit[3], etsi ex laudatis verbis Granium haud multa sane ex illo deprompsisse coniiciendum est. Denique locum de Corticiis fratribus[4] utrum ex M. Terentio Varrone[5] Granium, an ex nostro potius Varronem desumpsisse statuamus, pro certo non affirmaverim.

His igitur aliisque fontibus innixus auctor noster res gestas populi Romani composuit, quarum recentioribus et quae eius aetate gestae sunt interesse etiam ipse poterat. Neque vero rudis animo aut indoctus ad historiam conscribendam accessit, quippe quem graecae linguae peritum fuisse vocabula graeca declarant, quae haud semel in fragmentis occurrunt[6]. Quibus ex rebus omnibus quum appareat, Granium nostrum historiam Romanam omni ex parte absolvere bene potuisse: animo simplici atque candido eum negotium illud suscepisse facile perspicimus. Quod enim quum ceteros historicos, tum ante omnes Annalium scriptores decet, scilicet ut sine ira et studio veritatem unice sequantur: hoc a Granio semper observatum esse neminem effugiet. Nam ab omni partium studio tam alienus est, ut vel in cruentissimi illius inter Marium et Sullam civilis belli enarratione, utri magis faveat in obscuro sit. Quin etiam Sallustium Crispum magnopere vituperat, propterea quod 'et tempora reprehendit sua et delicta carpit et convicia ingerit'[7]! Etsi autem multis locis

1) Tacit. Histor. III, 51. 2) cfr. Plutarch. in Sulla cap. 23 ante med. et cap. 37. 3) pag. 23, 18 sqq. 4) cfr. fragm. III, pag. 31. 5) vide Plin. Hist. Nat. lib. VII cap. 52, §. 177. 6) cfr. pag. 4, vers. 18 et 19^b; pag. 6, 13^b; 19, 19 et 20. 7) pag. 23, vers. 1^b sqq.

superstitione se imbutum fuisse Granius ostendit[1], hoc tamen nusquam illum ad fidem historicam violandam incitavit et reliquis etiam huius aetatis scriptoribus, nec non ipsi Livio, commune vitium est.

Quare si alius quisquam, certe Granius Licinianus fide dignissimus videtur, cuius opus integrum quantum ad historiam Romanam elucidandam effecturum esset, vel ex fragmentis eius, utut sunt, facile colligi poterit. Haec enim, quamvis ab erroribus omnino libera non sint[2], neque permulta hucusque plane ignota exhibeant: haud raro tamen rebus gestis aut novam lucem afferunt[3], aut reliquorum scriptorum modo confirmant auctoritatem, modo subvertunt. Jure itaque miramur, quod tantus auctor non dico temporum vice per tot saecula latuerit, sed quod Annalium eius apud veteres scriptores nulla omnino nobis mentio occurrat, quorum vix unus atque alter vel nomen ipsum recordatur. Sane 'vixere fortes ante Agamemnona multi' qui, una cum Granio Liciniano Titi Livi splendidissimo nomine obruti, longa hucusque nocte forsitan ignoti urguentur! Quos utinam aeque atque nostrum e tenebris eruere mox cuiquam contingat! Grani Liciniani certe speramus fore ut plura fragmenta in lucem protrahantur, inter membranas ut credibile est etiamnunc latentia, quae una cum fragmentis nostris ex Egypto paucos ante annos in Museum Britannicum transvectae sunt. Etenim vir beatae memoriae Thomas Ellis, quem haud multos ante menses repentina morte abreptum Museum Britannicum nobiscum luget, cui membranas illas accuratius perlustrare munus obvenerat, anno praeterito nobiscum communicavit, permagnam adhuc illarum partem superesse quae nondum explorata sit, sibique veri simillimum videri, fore ut

1) cfr. pag. 31 fragm. III; pag. 32 et 33 fragm. IV; pag. 35 fragm. VII. 2) cfr. exempli gratia pag. 33, et ibidem not. 1, 3, 4. 3) e. gr. Bello Cimbrico (pag. 33 et 34) et Bello Civili Octaviano (pag. 35—39); de his aliisque vide Mommsen, R. G. tom. II (edit. secund.) pag. 90, 178, 306, et ibidem adnotationes.

in illis Grani Liciniani fragmenta quaedam alia inveniri possint. Haec igitur ut quam fieri potest citissime investigentur, Summos Viros Musei Britannici Patronos, Bibliothecarium, Custodes rogatos esse volo; quod si ex voto forte successerit, quam magnum inde fructum Historia Romana capiet quis est quem fugiat?

Haec habeo quae de Grani Liciniani fragmentis disputem, post undeviginti fere saecula tandem in lucem prodituris. In his autem investigandis, describendis, explorandis si nonnulla forsan minus recte instituimus: ut, magnis sane tam ardui laboris impedimentis recte perpensis, a doctis viris eiusmodi errores aliqua ex parte nobis condonentur valde speramus. Quas quidem Annalium reliquias ita typis exprimendas esse censui, ut primo loco inde a pag. 1—26 accuratam codicis manuscripti imaginem lectoribus proponerem, scribendi etiam compendiis nec non lacunis omnibus religiose indicatis; qua in re sic versatus sum, ut omnes litteras, quas pro certo indagare minus nobis contigit, minoribus litteris exprimendas curarem, ut eo facilius a certis dubia distingui possent. His deinde textum subiecimus quantum fieri potuit emendatum notisque et criticis historicisque instructum, quem doctorum hominum aequo iudicio non sine sollicitudine quadam animi proponimus. Denique agmen claudit index nominum, quo melius singula quaeque invenire lectoribus eveniat.

A. U. C. 648. * fol. 8'. ..... *matrona quaedam quasi mente commota sedit in consilio Iovis. itaque lustratum est denuo Capitolium. et in Sabinis Martis signum increpuit et[h] devolutum nuntiatur. et die quodam ante ludos qui futuri erant cum tubicines apud aram concinerent, angues nigri subito apparuerunt neque ante .. se[i] concurrere et morsibus multos invadere desiverunt, quam tubicines conticuissent. nec usquam derepente apparuerunt.

a) *sic locum emendavimus cum Plinio; aliter Mommsen, qui haec proponit:* cum petisse decies (*sic pro littera* T *codicis*) funeri erogaretur *etc.* b) edocuisse thesauri *M.* c) filiam commendasse *Plinium sequutus Mommsen.* d) eres r. m. nuntiatur *M.* e) chartulas *cod.* f) demum *aut* denique *vel tale quid supplendum videtur.* g) *sic forte scribendum.* h) *vocem* et *supplevimus*; signum in caput devolutum *M.* i) .. SE *cod.*; ad se *M*; *an legendum* [IBI]DĒ?

ut iis funebribus quae comparasset efferretur. Hoc eo narrante fratris domestici propere adnuntiavere exanimatum illum, et aurum ubi dixerat repertum est.

1) De hoc nihil invenimus; ceterum locus ille tantopere corruptus est, ut non sine audacia emendari possit. Quid, si legimus: *alii . . . [ip]se vero cum intra m[oe]nia tabernaculu[m] posuisset, qua dic[it]ur pomerium, ei* etc.

Aliquot[a] matronae eodem somno[b] monitae una eademque nocte, de dapibus[c] sacris praestiterunt hocque sacrificatu* aliquotiens et carmen in deorum laudem[d] compositum nobilissimi pueri concinuerunt. A. U. C. 648. *col. 2.

Cn. Manilius[1] ob eandem causam quam et Cepio L. Saturnini rogatione e civitate est cito[e] eiectus. A. U. C. 651.

Rutilius[2] consul collega Manili. Hoc anno Cn. Pompeius[3] natus est solus super reponit[f] aeque atque Cicero.[4] A. U. C. 649.

Cum metus adventantium[g] Cimbrorum totam quateret civitatem, ius iurandum a iunioribus exegit[5], ne quis extra Italiam quoquam proficisceretur; missique per omnes oras[h] Italiae atque portus qui praedicerent, ne ulli minorem XXXV annorum in navem conscendere liceret[i] ....

a) aliquod *cod.* b) somnio *B.* c) *sic legit pater;* stipibus *M, neque vero h. l. plures quam duae tantum litterae exciderunt.* d) *sic pater;* in deos a matre *M.* e) est cito *cod.* plebiscito *scribi iubet B.* f) *locus corruptus quem tamen ita cod. exhibet.* g) aduentatium *cod.* h) horas *cod.* i) *voces* conscendere liceret *supplevi; hoc loco duo folia exciderunt.*

1) Cn. Manilius, (vel Manlius aut Mallius) Maximus, anno 649 P. Rutilii collega in consulatu, statim post cladem in bello Cimbrico acceptam una cum Q. Servilio Caepione L. Appuleii Saturnini et C. Norbani trib. plebis rogatione maiestatis arcessitus, anno ut videtur 651 Urbe pulsus est; cfr. Mommsen, Roem. Gesch. II pag. 178 adnotat. (edit. secund.) Quare errasse Licinianum patet, qui eiectos esse anno 648, id est ante cladem Cimbricam, testatur.

2) Scil. P. Rutilius Rufus, qui a. 654 cum optimatibus contra L. Saturninum Capitolium tenentem pro communi salute arma cepit; cfr. Cic. pro Rabirio 7, 21.

3) Pompeium iam a. 648 C. Atilio et Q. Servilio Coss. et pridie Kal. Octobres natum fuisse tradunt Velleius II, 53. Plin. Hist. Nat. XXXVII, 2 init. Hieronymus in Chronic. Eusebii; cfr. Fischer, Roemische Zeittafeln s. a. 648.

4) Et hunc anno 648, Jan. 3, natum tradunt auctores; cfr. Fischer, Zeittafeln l. c.

5) Supplendum videtur senatus.

BELLUM CIMBRICUM.

V.

A. U. C. 649. * ... vocitati, et M. Aurelium Scaurum[1] consularem virum ceperunt equo
* fol. 1'. deiectum. nam is vocatus in concilium ab his nihil indignum viro Romano,
qui tantis honoribus functus erat, aut fecit aut dixit. itaque interfectus est,
cum posset effugere, et nec ipsis petentibus ducem se tradere sustinuit, vere-
cundia ut amisso exercitu incolumis esset. Qua victoria Cimbrorum territus
Manlius[2] consul litteris supplicibus cum Cepionem[3] orasset, ut copiis iunctis
simul et exercitu ampliato Gallis resisterent, impetrare non potuit. et cum
col. 2. Rhodanum traiecisset* et apud milites gloriatus esset, timenti consuli se
auxilium laturum, ne communicare quidem cum eo consilium belli gerendi
voluit, nec legatis quos senatus miserat, ut concordes essent simulque rem
publicam iuvarent, auscultare dignatus est. Cimbrorum etiam legatos[4], pa-
Oct. 5. cem volentes et agros petentes frumentumque quod sererent, ita contumeliose[a]
Oct. 6. submovit, ut desperata pace ado ..[b]; capta postero die castra eius non longe
a Manli castris constituta, neque adduci potuit, cum non multo abesset, ut
fol. 1r. exercitum iungeret et maxima pars exercitus* deleta est ....[5]

a) contumeliosae *cod.* b) *sic cod.* 1 — 3 *litt. exciderunt; an legendum* abirent? ***Th. Mommsen*** *locum sic emendare proponit:* ut desperata pace [se converterent] ad oppugnanda postero die castra eius *etc. attamen de litteris* capta *dubitari non potest, quas pater quoque h. l. exstare vidit.*

1) M. Aurelius Scaurus a. 646 consulatu functus est; de morte eius vide Liv. Epit. libri LXVII: *M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est, et cum in consilium ab eis advocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige, feroci iuvene, occisus est.* Cfr. etiam Velleium libro II, 12; Tacit. Germ. cap. 37; Orosium lib. V, 16 qui M. Aurelium iam anno 642 occisum esse falso narrat.

2) Idem est, quem supra Manilium Granius appellat.

3) De discordia inter Manlium et Q. Servil. Caepionem proconsulem cfr. Dio Cass. fragm. 91 (ed. Bekker I, pag. 87).

4) cfr. Dio Cass. l. c. *ὡς δὲ πρὸς Μάλλιον ὑπατεύοντα διεκηρυκεύσαντο, ὁ Σερουίλιος ἠγανάκτησεν ὅτι μὴ πρὸς ἑαυτὸν ἐπρεσβεύσαντο, ὀλίγου τε καὶ τοὺς πρεσβευτὰς διέφθειρεν.*

5) Caepio et Manlius victi sunt iuxta flumen Rhodanum (Eutrop. V, I) et Caepionem quidem pridie Nonas Octobres fugatum tradit Plutarch. in Lucull. 27 extr.: *ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ ἡμέρᾳ ἡ μετὰ Καιπίωνος*

VI.

*..e...s...t quod .... ei .... ta .... es . el .. ic ... e .. ec . e . n ..... A. U. C. 649.
si minus .... omni . eo convenerant hae .. ta .. to .. er quot reliqua * fol. 1 r. col. 2.
fuerunt milia ad[a] X .. ceteri[b] non ... obus militum, equitumque[c] non minus simul[c] periisse existimantur. his sepultis[d] erat si ..... utrimque[d] ... consules et equites Romani et ....

EX LIBRO XXXV. BELLUM CIVILE OCTAVIANUM.

VII.

... *ipsum facere, nisi quod illa evasisset. placuit et (quod numquam alias) A. U. C. 667.
pro collegio, quid in libris fatalibus scriptum esset, palam recitare. constabat * fol. 6'.
notari carmine[e] Cinnam, qui[f] tribus[1] patria pulsis tranquillum otium et securitatem petierat[g].

Auspicium et superiore casu Mario oblatum. nam cum de conclavi fugiens barbarus apertum reliquisset, egressus videt asellum[2] forte obiectis ei pabulis[h] aquam petere. idem sibi praecipi[i] ratus oraverat ut se ad mare deducerent, ac ita[k] evaserat.

a) sic coniicio. *b)* cete- *supplevi.* *c) sic forte scribendum.* *d) ita lego.* *e)* carmine *M.* *f) sic coniicio; cod. ut videtur* cinna se ac, *sed pro litteris* AC *primo quidem* Q *vidisse me putabam. Mommsenius locum alia ratione emendare proposuit, scribit enim:* Cinna, sexque tribunis patria pulsis *etc. attamen auctorem nostrum h. l. de Lege Cornelia* p r i o r e *scribere patet, ea scil. quam Cinna tulit priusquam una cum sex tribunis Urbe pulsus esset; cfr. Liv. Epit. LXXIX. An legendum:* qui civibus? *g)* peterat *cod.;* Repetam auspicium *B.;* Preterea auspicium est *M.* *h) sic lego;* abiectis clitellis *B, sed cfr. Valer. Max. l. l.* *i)* praecipi *M.* *k)* ac ita *coniicio, nam primo legeram* ACCITA, *scriba autem saepius male litteras consonantes bis ponit;* eaque via *M.*

ἀπώλετο στρατιὰ συμβαλοῦσα Κίμβροις .. .. ἦν δὲ πρὸ μιᾶς νωνῶν Ὀκτωβρίων κ. τ. λ. Manlium vero ante Caepionem devictum esse plurimi auctores consentiunt, qua de re cfr. Liv. Epit. LXVII; Eutrop. V, 1; Florum III, 3, 4: *Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Mallius, nec tertium Caepio sustinere potuerunt* etc. Cum nostro autem consentiunt Sallust. Jugurtha cap. 114 init. et Tacit. German. cap. 37.

1) Appian. B. C. I, 60 C. Marium cum filio aliosque numero fere duodecim Urbe depulsos fuisse tradit.

2) Scilicet Minturnis in domo Fanniae, in quam custodiae causa deductus erat. Eandem historiolam legimus apud Valer. Max. I, 5 et Plutarch. in Mario cap. 38.

A. U. C. 667. Is ergo cum mille circiter[1] Numidis[a] collectis ad Cinnam navi pervenit col. 2. Telamonem[b][2]. profectus et* Hispania Brutus[3] ceterique[c] exules ad eum confluxerunt[c]. et cum deformis habitu et cultu[4] iis[d] videretur, qui eum florentem victoriis norant[e], supplicemque se omnibus quasi oppressus ab inimicis commendaret, legionem voluntariam[f] conscripsit Cinnaeque tradidit milites et praefecit eum[g] Sertorio et Papirio[5] itemque Milonio[6]. traditus[h] eu . . comperti[i] id cum rogat[k] eum in urbem[l] veniret. quae . . . . videret sine succen . . . hoc est a Pompeio d . . . . ta voluntate natos . . . . . re coepit res oportu . . . . tutum vellet ire rea . . . . illatis eo opera est a . . . . nec subrepserat modo in *fol. 6 r. Narbonesos[7] portum[m], sed* navigio[n] ad noctem usque manens[o] Ostia urbe potitur[8] per L. Valerium[n][9], cuius equites praesidebant.

a) Numidis *B.* b) *sic, ni fallor, legendum cum Plutarch. Mar.* 41; *cfr. etiam Appian. l. c. I,* 67. c) *sic scribimus cum M.* d) ab iis *M.* e) *ita forte scribendum cum M.* f) voluntariorum *M.* g) eum *addidi.* h) *quae sequuntur maxime turbata sunt.* i) *sic forte scribendum.* k) *ita coniicio.* l) *ita lacunam supplevi.* m) *sic scribo.* n) *ita locum emendavi.* o) Marius *M.*

1) Cum nostro consentit Plut. in Mario cap. 41: *καὶ παραλαβὼν ἔκ τε Λιβύης Μαυρουσίων τινὰς ἱππότας καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ' ὧν ἀνήχθη κ. τ. λ.* paullo discedit Appian. B. C. I, 67: *Γάϊος δὲ Μάριος . . . ἐς Τυῤῥηνίαν κατέπλευσεν ἅμα τοῖς συνεξελαθεῖσιν καὶ θεραποῦσιν αὐτῶν ἐπελθοῦσιν ἀπὸ Ῥώμης, ἐς πεντακοσίους μάλιστά που γεγονόσι.*

2) Etruriae portus, hodie Telamone.

3) scil. M. Junius Brutus, praetor anni 666 (cfr. Plutarch. in Sulla cap. 9), unus ex duodecim illis quos eodem anno Sulla expulit, (cfr. Appian. B. C. I, 60) qui anno 672 se ipsum interfecit; qua de re cfr. Liv. Epit. LXXXIX.

4) cfr. Appian. l. c. I, 67; Plutarch. Mar. cap. 41.

5) scil. Cn. Papirio Carboni, cos. a. 669.

6) C. Milonium senatorem una cum Sertorio alteroque C. Mario ad Cinnam confugisse tradit Appian. l. c. I, 65.

7) locus sine dubio corruptus; de quonam autem portu h. l. Granium loquutum esse statuamus incertus haesito.

8) scil. Marius; cfr. Plut. Mar. cap. 42: *Τέλος δὲ τὴν Ὠστίαν αὐτὴν λαβὼν ἐκ προδοσίας κ. τ. λ.* Appian. l. c. I, 67. Liv. Epit. lib. LXXIX extr.

9) Fortasse idem L. Valerius Flaccus est, quem a. 668 post mortem C. Marii eius loco collegam sibi a L. Cornelio Cinna allectum esse accepimus; cfr. Appian. Bell. Mithrid. cap. 51: Liv. Epit. lib. LXXXII.

Nec Pompeius a Sertorio bello abstinuit sed palam pugnavit, et frustra legatis ultro citro remissis[1] un[a] . . . cum se Cinna superiorem existimaret[b]. Marius cum suis Janiculo[c] potitur[d][2], multis occisis, quibusdam aliis[e] iugulatis . . . et Octavius[3], acceptis sex cohortibus a Pompeio, obiicit[f] se inimico. legatus[g][4] occiditur, ceteri fugiunt[h] quos[i] subsidio Milonio Sertorius miserat. ceciderunt[k] Octaviani sex[l] milia et senator unus . . . utius[m], adversariorum septem milia. potuit capi Janiculum eodem die[5]*. A. U. C. 667.

*fol. 6 r. col. 2.

Pompeius ultra Octavium progredi passus non fuit, set ut Crassum revocaret impulit, ne ante debellaretur quam comitia conficerentur, ut eum magistratum ipse invaderet. qui timebatur. nam et Metelli castra in propinquo erant; quem Catuli duo[6] et Antonius senex[7] legati ut patriae subveniret[n] oraverant[8].

Bello quod inter Pompeium et Sertorium fuit, miles Pompei dum spoliat hostem ignobilis quidam fratrem adgnovit[9]. exstructo rogo dum iusta per-

a) legati u. c. remissi sunt, ut unum se Cinna **M**. *b*) *sic forte scribendum*; appellaret **M**. *c*) Janiculo **M**; naviculo *ut videtur cod.* *d*) potitur **M**. *e*) *sic locum emendavi.* *f*) *tale quid h. l. scribendum.* *g*) *ita scribo*; a Pompeio [con]tra . . . . . i[b]i Mi[l]o[ni]us occiditur **M**. *h*) ceteri summoventur **M**. *i*) quo subsidio *cod.* *k*) Ibi perierunt **M**. *l*) *sic lego*; *quum enim* 2 *aut* 3 *litter. spatium abreptum sit, inter duos tantum numeros haesitabimus*, duo *scil. et* sex: *quorum posteriorem eligendum esse Orosius ostendit lib. V cap.* 19 *med. scribens:* Sexcenti ex utraque parte milites trucidati sunt. *m*) Aebutius *coniicit* **M**. *n*) subvenirent *cod.*

1) cfr. Appian. B. C. I, 69 et 70; Plut. Mar. cap. 43.

2) scil. ab Appio Claudio, tribuno militum et tunc temporis Janiculi custode, quem accepti antea beneficii Marius commonuerat, in Urbem receptus; cfr. Appian. l. c. I, 68.

3) Cn. Octavius, eiusdem anni consul.

4) Milonius, ut videtur.

5) De hac pugna vide Appian. l. c. I, 67; Liv. Epit. lib. LXXX: *Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Janiculum oppugnaverunt et fugati ab Octavio consule recesserunt.*

6) scil. Q. Lutatius Catulus senior, qui a. 652 consulatu functus erat, quemque hoc ipso anno ignis haustu sese ipsum interemisse tradit Florus lib. II, 9 ed. Halm; — et Catulus iunior, cos. a. 676, de quo cfr. Velleium lib. II, 43; Florum lib. II, 11.

7) an M. Antonius orator? quamvis ille, quum a. 611 natus esset, eo tempore 56 tantum annos numeraret vixque senex posset appellari. Ceterum M. Antonium oratorem hoc ipso anno Marii Cinnaeque iussu interemtum fuisse constat.

8) cfr. Appian. l. c. I, 68; Plut. Mar. cap. 42; Dio Cass. fragm. 102 (ed. Bekk. tom. I, pag. 92).

9) Eandem historiolam L. Corn. Sisen-

A. U. C. 667. solvit, multa precatus et inprecatus gladio se traiecit, maximumque omnibus praeludium[a] Belli Civilis casus hic* attulit mentesque mutavit, nec quisquam omnium a lacrimis potuit temperare. *fol. 3'.

Nolani progressi oppidum Abella[1] incenderunt. Marius Servilium[2] apud Ariminum fugat, paucos occidit, reliquos quos corruperat accipit in deditionem. senatusque per Metelli legatos consultus de voluntate Samnitium[3], qui se negabant[b] aliter in pacem venturos, nisi civitas ipsis et perfugis[c] omnibus daretur, bona redderentur[d], abnuit, dignitatem ante rem publicam ponentibus patribus[e]. quibus cognitis Cinna per Flavium Fimbriam leges quas postulabant concedit[f] et copiis suis iunxit[g]. nec* desinebat Pompeius intermiscere omnia. et cum in senatu[h] videret adversari[i] omnes Sullae metu[k] Cinnae causam, suasit tamen ut legati a Cinna missi tuto reciperentur et[l] cum Cinna consilia sociabat et Octavio tegebat[m]. dediticiis omnibus civitas[n] data; qui polliciti multa milia militum vix XV . .[o] cohortes miserunt. *col. 2.

Et pestilentia vastatus exercitus[4], ita ut ex Octavianis partibus decem et septem milia hominum deperirent. Pompeius minus validus cum in lecto decumberet, orta tempestate et ipse fulmine adflatus est[5] et culmen taberna-

a) praeludium *pater.* b) negabunt *cod.* c) *sic scribendum cum M.* d) b. r. *M.* e) *sic locum emendavit M.* f) *sic lego; idem coniecit M;* in leges quas postulabant eos recepit *B.* g) innexit *cod.* h) *sic lego;* cum senatum *M.* i) aversari *M.* k) *ita coniicio.* l) clam *M, sed fortasse h. l. littera nulla excidit.* m) tegebat *M.* n) *sic cod. vide infra addenda et corrigenda; idem coniecit M.* o) *an* XVI *aut* XVII? 2—3 *litter. spatium abreptum.*

nam in historiarum libris deperditis narrasse legimus apud Tacitum, Hist. III, 51: . . *nam proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat.* Cfr. etiam Livii epit. lib. LXXIX: *in quo bello duo fratres, alter ex Pompei exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt; et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo ipse se supra rogum transfodit et eodem igne consumptus est.* Denique vide S. Augustinum, de civitate Dei II, 25.

1) Oppidum Campaniae.

2) an P. Servilium Vatiam, qui postea Isauricus appellatus est?

3) cfr. Appian. l. c. I, 68.

4) cfr. Velleium lib. II, cap. 21, 4.

5) cfr. Appian. l. c. I, 68 et 80; Plut. Pomp. cap. 1; Velleium l. c.

culi dissipatum. nec spem vitae ostendit ..*.... aliquot dies ip........ A. U. C. 667.
..... quia sani ...... sit ... cassibus ..... missus exercitum acciperet, *fol. 3 r.
dum ille convalescit. ad quem Pompeius repente se erigit. legatus ..... fuere ....us esse contentus adsentiente patre[a] adulescentes Pompeio dies ....nit Cassio[b]. Tertium post diem Pompeius moritur[c] ... eius funus populus Romanus[d][1] diruit[e] mortuumque unco suspensum per[f] caenum trahere non destitit, omnibus consentientibus dignam caelo poenam et perfidiae et avaritiae ....[g] tandem expendisse. sed patres[h] et tribuni repressa multitudine cadaver* super inci .... bus tramit ...... *col. 2.
.... in lecticulam vulgariter eum elatum sepulturae datum.

Pompeianos Octavius in sua castra traducit et copias Metellus contra Cinnam produxerat[i], cum milites repente ....[k] totis clamore exercitum Cinnae salutant ac resalutantur. territus re nova Metellus exercitum reducit atque ipse inter primos ad Cinnam de pace legatum mittit[l]. de ..... regresso Crasso fugaci[l]. urgente eum Metello cum ...... cur ipse sileret[l]? .... quaerit. Cinna nullam ed.... ere tamen se cede[2].........[m]

Fimbria proelio infeliciter devicto neque occiso, cum et ipse ....

BELLUM MITHRIDATICUM. A. U. C. 668.

VIII.

*.... castra .... Dorylai[n]. Archelaus ....[o] *fol. 7 r.
....*... nus Sulla Athenas reversus in principes seditionis et noxios *fol. 7′.

a) *ita forte scribendum.* b) *locus valde corruptus.* c) *sic lego; idem coniecit M.* d) *ita coniicio legendum esse.* e) diripuit *scribi iubet M.* f) unco suspensum per *M.* g) *locus corruptus; an legendum* mortuum ..? h) *ita scripsi, nam primo quidem has litteras in codice me legisse putabam:* PA.||RES, *quod sine dubio recipiendum est.* i) *sic scribendum.* k) ordinibus *proponit M.* l) *ita coniicio.* m) *an* temperaturum? n) *sic lego.* o) *iam quae reliqua est huius paginae pars omnis fere erasa est.*

1) cfr. Vellej. II, 21: *Cn. Pompeius decessit .... populusque Romanus quam vivo iracundiam debuerat in corpus mortui intulit.* Vide etiam Plutarch. Pomp. cap. 1.

2) cfr. Appian. l. c. I, 70; Plutarch. in Mario cap. 43.

animadvertit violentius[a], necatis reliquis[b] ab ... omnia et divinato ... eres
multos .... et quinque .... tarde itum equo
... mo cum Dorylao praemittit[c], et quadrigas essedas septuaginta addit.
Archelaus subito .. circiter Sulla ... ea collegerat ...... quae longis navi-
A. U. C. 669. bus ... sus vastabat. primo fugati Pontici[1] et Archelai filius[d] occisus. de-
bue[e]... et suppresso (?) senectute (?) deridi continebantur, sed ocius impetus
*col. 2. factus. milites nostri castra *capiunt, hostium multitudinem innumerabilem
concidunt, amplius XXV milia capiunt, quae postea sub corona venierunt.

Archelaus parvulo navigio Chalcidem deportatur[2]. regii, qui Abderae[f]
praesidebant[g], captis Philippis, dilabuntur. colloquium Syllae et Archelao in
Aulide[3] fuit et condiciones impositae, si rex pacem mallet. quibus ille tan-
dem[4] paruit: nam et Fimbriae adventum timebat[5], ut mox ordine indicabo,
et se de conventis nihil novaturum Sulla praedixerat. fuerunt autem hae[6]:
fol. 2 r. Archelaus classem traderet Sullae; rex insulis omnibus, Asia, Bithynia, Pa-
phlagonia decederet; item Gallograecis Q. Oppium[7] et M.[h] Aquilium[8] legatos
redderet; item ceteros omnis captivos, quorum non parvus numerus erat,
dimitteret. inprimis excepti Macedones, quorum fides insignis fuerat, ut uxores

a) *ita ni fallor coniiciendum.* b) necatis reliquis *bis leguntur in cod.* c) PRA...AEMITTIT *cod. sed h. l. nihil excidisse videtur.* d) *sic lego; de re cfr. Appian. B. M. cap.* 49. *Plut. in Sulla cap.* 21. e) *an legendum* DIOGENES? *hoc enim nomine Archelai filius vocabatur.* f) *sic legendum cum M.* g) praesidebat *cod.* h) *sic cod. reliqui scriptores eum* Manium Aquillium *vocant.*

1) Loquitur de pugna apud Orchomenum a. 669 commissa; cfr. Mommsen, Roemische Geschichte tom. II, p. 293 adnotat. (edit. secund.)

2) cfr. Appian. B. M. cap. 50.

3) sed cfr. Plut. in Sulla cap. 22: *καὶ συνῆλθον ἐπὶ θαλάττῃ περὶ Δήλιον, οὗ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν.*

4) qua de re vide Appian. l. c. cap. 54—58 et Plut. l. c. cap. 22—24.

5) cfr. Plutarch. in Sulla cap. 23.

6) De condicionibus pacis cfr. Appian. l. c. cap. 55; Plutarch. in Sulla, cap. 22; Liv. Epit. lib. 83; Florum I, 40.

7) cfr. Appian. l. c. cap. 17, 20, 112.

8) De M'. Aquillio, cos. a. 653 et post principe legationis, qua Nicomedes simul et Ariobarzanes a Mithridate pulsi in suum quisque regnum restituerentur, cfr. Appian. l. c. cap. 11. Quem apud Protopachium castellum devictum (Appian. 19) Mithridates captivum ceperat; cfr. Appian. cap. 21, 112; Velleium II, 18.

et liberi redderentur. praeterea naves viginti quinquaginta tectas instructas A. U. C. 669.
sociis daret, frumentum, vestem[a], stipendium ipse praestaret.

Iis[b] ipse Mithridates cum Sulla aput[c] Dardanum compositis, relicta[d]
classe, gratia e re conciliata, Ariobardianen[1] ut servum respuit, in Pontum
proficiscitur, ac, dum de condicionibus disceptatur, Medos[2] et Dardanos qui
socios *vexabant Hortensius[3] retro fugaverat. ipse Sulla exercitum in Mediam[4] *col. 2.
induxerat, priusquam in Asiam ad conloquium transiret[5]; quo Dardanos et
Denseletas[6], caesis hostibus qui Macedoniam vexabant[e], in deditionem recepit.
Ephesi, causis cognitis, principes belli securibus necat[f], civitates pecunia
multat, oppida inpacata redigit in suam potestatem. Nicomedi[7] regnum A. U. C. 670.
Bithyniae restituit, ... est appellatum[g] Paphlagonia. comis et mansuetior
i ... quam .... tum es .. que foveret Romanis, delatus u ..... qua scelest ..
vacaret, fidem per nefa ... bri eam ligno exercere se .. masse alter et al ...* *fol. 2'.
invidiose exequebatur satis exercitus in priore fortuna. nam postquam ... co-
nemes eversetes (?) ... erit ad ictus, quod bea ... egentes faciebat, multisque
beneficiis suis allicebat. non fuit uno isto filio[h] contentus, quem ...... ac[i]
legitimum procrearat[8]; tollit ex concubina Hane, Sicheana muliere[k], Socraten

a) *sic M, recte ut videtur; de re cfr.* Livium *libro IX,* 43: tum trium mensum frumento imperato et annuo stipendio ac singulis in militem tunicis *etc. Vide etiam* Plutarch. *in Sulla cap.* 25 *extr.* b) Is *cod.* c) *ita cum M. scripsimus.* d) reliqua *cod.*; relicta *M.* e) *hunc locum ita emendari iubet Mommsen:* retro fugaverat, ipse Sulla exercitum in Mediam induxerat. Priusquam in Asiam ad conloquium transiret, Dardanos quo[que] et Denseletas ceterosque qui Macedoniam vexabant ... f) secat *ut videtur cod.* g) *an legendum:* quod est appellatum Paphlagonia? *cfr. supra pag.* 31 *vers.* 2. h) filio *M.* i) quem Aristoua legitimum *M*; *an legendum* quem ἄριστον ac *etc.?* k) muliere *M.*

1) scilicet regem Cappadociae.

2) Medi gens Thraciae, Strymonem amnem dextro latere adcolentes; cfr. Plin. H. N. lib. IV, cap. 11 § 18; Eutrop. V, 7.

3) de L. Hortensio, Sullae hoc tempore legato, cfr. Plut. in Sulla cap. 15, 17, 19.

4) Hanc Medicam (*Μαιδικήν*) vocat Plutarch. in Sulla c. 23.

5) cfr. Plutarch. in Sulla cap. 23; Eutrop. V, 7: *Hac re audita, Mithridates cum Sulla de pace agi iussit. Interim eo tempore Sulla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas et Medos partim vicit, alios in fidem accepit.*

6) Denseletae gens Thraciae, iuxta Strymonem fluvium habitantes; cfr. Plin. H. N. lib. IV, 1 et cap. 11 §. 18.

7) scil. Nicomedi III. Philopatori; mortuus est a. 679.

8) eundem, qui post Nicomedes III appellatus est.

A. U. C. 663. nomine, eamque Cyzicum[a] cum Socrate et quingentis talentis ablegat. sene mortuo[1], incertum an veneno, Nicomedes[2] filius[b] succedit, truncatis . . . . amissa matre, sororem patris ducit uxorem;
col. 2. patrem, quem . . . ra . huic vivo voverat[b], . . . lonos post mortuast[*c] morbo an dolo. Nysam[3], Ariarathis[4] Cappadocum regis filiam, accepit. Haec Socrates ad regem[5] fert[d], regem[6] refert bellum contra fratrem incitavisse. Exceptus a rege munifice, Chrestus[7] etiam quasi meliore nomine ab eodem vocatus[e], Romam ad regnum expetendum frustra profectus Cyzicum[f] redit, nam redire ad regem pudor prohibuerat. ibi avaritia eadem suadente, occisa sorore, insequentibus Philopatore simul et Cyzicenis, Euboeam venit, ubi apud Cornelium quendam equitem Romanum devertitur, satis benigne exceptus[g], . . . eius filio adulescenti . . . . . . scelera discere . . . .

EX LIBRO XXXVI.

IX.

*fol. 9'. A. U. C. 673 Mart. 12. . . . . *lis admonitus contendere, refugit. et Pompeius, annos natus XXV, eques Romanus, quod nemo antea, pro praetore ex Africa triumphavit[8] IIII. Idus Martias . qui . . admemorant . . . . tem elephant . . . .

a) sic scribendum. *b) sic forte emendandum.* *b*) noverat ut videtur cod.* c) mortuast *M. cfr. infra fragm. X med.* adsensast. *d)* fert *M;* fecit *ut videtur cod.* *e)* revocatus *cod.* *f) sic legendum.* *g) sic forte scribendum.*

1) Nicomedes II, Epiphanes, a. 663 mortuus est.

2) scil. Nicomedes III, Philopator.

3) cfr. Sallust. fragm. Histor. IV, 20 §. 9 ed. Kritz. Ceterum Sallustius Nysam, tenui loco ortam, a marito demum ad regiam dignitatem evectam indigitare videtur.

4) Ariarathis VII.

5) ad Mithridatem scilicet.

6) Nicomedem III.

7) cfr. Appian. B. M. cap. 10 et 13.

8) cfr. Liv. Epit. 89: *Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam regem Numidiae bellum molientes victos occidit et quattuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit.* Vide etiam Fast. Capitol. a. 672; Plutarch. in Pomp. cap. 25; Eutrop. V, 9: *Cn. etiam Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum et XX. annum agens, de Africa triumphavit.*

..... ingre.. ......cuisse elephant...... ad currum[1] tunc........ quam quo...ris experientur. et Murena[2] ex Asia triumphavit, et Valerius Flaccus[3] ex Celtiberia et Gallia ...is. et Lucius[a] et Terentius Luculli fratres, aediles curules, munere suo taurorum proelium adversus elephantos dederunt[4]. id ante Claudius[5] aedilis in circo *ludis circensibus exhibuerat. et Volaterrani se Romanis dediderunt[6], ante occiso per seditionem lapidibus Carbone praetorio quem Sulla praefecerat. is Cn. Carbonis[7] frater fuit et proscriptos ex oppido dimiserat, quos equites a consulibus Claudio[8] et Servilio[9] missi conciderunt. iam ante anno superiore[b] et Samnites quoque[c], qui Nolae erant, idem fecerant metu obsidionis. Papiusque[d] Mutilus[10] inde fugiens, quum ne ab uxore quidem Bassia[e] noctu Teani reciperetur, quod erat in proscriptorum numero, usus est pugionis auxilio. data erat et Sullae provintia Gallia Cisalpina* ....

A. U. C. 675.

* col. 2.

A. U. C. 674.

* fol. 9 r.

a) *sic scribendum pro* DUILIUS *quod cod. exhibet.* b) annos superiore *cod. littera* s *ut saepius duplicata.* c) Q· *cod.* d) Papiriusque *cod. falso.* e) *sic cod.* Bastia *Liv. Epit.* 89.

1) de re cfr. Plutarch. in Pomp. cap. 14.

2) Vide Ciceron. Orat. pro lege Manilia 3; et pro Murena cap. 5.

3) scilicet G. Valerius Flaccus, qui a. 672 pro praetore in Galliam et Hispaniam missus erat; eius meminit Cic. pro Quinctio cap. VII, §. 28; Caesar B. G. I, 47.

4) cfr. Plin. H. N. VII, 7, §. 7: *Romae pugnasse* [*elephantos*] *Fenestella tradit primum omnium in circo, Claudi Pulchri aedilitate curuli, M. Antonio A. Postumio coss., anno urbis* 655; *item post annos XX Lucullorum aedilitate curuli adversus tauros.* Vide etiam Cic. de offic. II, 16 §. 11; in Verrem act. II lib. IV cap. 31 §. 6; Valer. Max. lib. II, cap. 4, §. 6; Plin. H. N. XXXV, cap. 4, §. 7.

5) G. Claudius Pulcher a. 655 aedilitate curuli functus est; de ludis quos in circo instituit vide Plin. H. N. VII, cap. 7, §. 7; idem a. 662 M. Perpernae collega in consulatu fuerat.

6) cfr. Liv. Epit. lib. 89.

7) scil. Cn. Papirii Carbonis cos. a. 669, 670, 672.

8) scil. Appius Claudius Pulcher.

9) P. Servilius Vatia, qui postea *Isauricus* appellatus est.

10) de G. Papio Mutilo, Italicorum duce, cfr. Appian. B. C. I, 40. 42. 51; Liv. Epit. lib. 89: *Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticas aedes Bastiae uxoris cum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret. itaque ipse se transfodit et sanguine suo fores uxoris respersit.* Cfr. etiam Plut. in Sulla cap. 31 med.

X.

*fol. 4 r. . . . * condi corpus iusserat, non comburi[1]. sed L. Philippus[2] cremandum potius
A. U. C. 676. censuit, ne idem Sullae eveniret quod G. Mario, cuius corpus milites inimici extractum monumento disiecerant. itaque iustitium fuit, matronaeque eum toto anno luxerunt. in campo Romae sepultus est[3], amplissimo funere elatus, magna populi frequentia. cuius rogo quum ignis esset inlatus, non medioeris imber est insecutus.

Sallusti opus nobis occurrit[4]. sed nos, ut instituimus, moras et non urgentia omittemus. nam Sallustium non ut historici sunt, sed ut oratorem
col. 2. legendum: nam et tempora reprehendit sua et delicta carpit, et convitia[a] ingerit, et dat in censum[b] loca montes flumina et hoc genus amovenda, et culpat[c] et conparat disserendo. Verum . . . co[d] genera (?) tribuni plebis[e] consules, uti tribuniciam potestatem restituerent. negavit prior Lepidus, et in contionem[f] magna pars adsensast[g] dicenti: non esse utile restitui tribuniciam potestatem; et extat oratio. legem frumentariam nullo resistente adeptus[h] est, ut annonae quinque modi populo darentur, et alia multa pollicebantur[i]: exules
fol. 4'. reducere, res gestas a Sulla rescindere, in quorum agrum . . . s[k] deduxerat[5] sa . . . fuere Faesulani in . . . . castella Romanorum Sulla possessoribus[l] occisis agros . . . os reddiderunt et . . . natu defendebant . . . . agreste

a) *sic scribendum; idem proponit M.* b) censum *M.* c) culpat *M.* d) [indi]co *proponit M: fortasse autem, ut iam idem sensit, hisce litteris verbum latet, quod infra post voces* tribuni plebis *desideratur.* e) *sic recte M.* f) *scribi etiam potest* in contione, *nam scriba saepius litteram* M *aut* S *sine ulla ratione bis posuit.* g) adsensast *M.* h) adeptus *M.* i) pollicebatur *M*; . . cicebatur *ut videtur cod.* k) *an legendum* milites? l) *sic, ni fallor, scribendum pro* SULLANOSU . . ERIB ·

1) Sulla corpus suum condi iusserat, secundum veterem Corneliae gentis consuetudinem, qua comburi mortuos vetitum erat; cfr. Mommsen R. G. II, 376 edit. secund.

2) scil. L. Marcius Philippus, cos. a. 663.

3) cfr. Liv. Epit. lib. 90: *Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est ut in campo Martio sepeliretur;* Appian. B. C. I, 105 et 106; Plutarch. in Sulla cap. 38.

4) Sallusti Historiae a. 676 incipiebant. quare hoc ipso loco Granius primam eius mentionem affert; cfr. Sallusti Hist. lib. I, fragm. 1: *Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo Coss., ac deinde militiae et domi gestas composui.*

5) cfr. Liv. epit. 89: *Sulla . . . XLVII legiones in agros captos deduxit et eos his divisit;* Appian. B. C. I, cap. 96 et 100.

do . . . . coactum . . . es, et consules dato . . . . Etruriam . . . . A. U. C.
ut scitum vers . . . dendus insontes . . . . praesentes renu . . . . . . sed quo 676.
Mar . . . dem comportatur, neque segnior ca . . . . ubi quis videretur[a]
contingere . . . ntem, secundum . . . set lacum (?) summo . . . es omisit incerta
et . . . es senatus concessit* execrationibus maximis nulla ultra arma movere *col. 2.
umquam, iam urbi cum adesse . . . . . . das legatum suum praemissum . . . .
. . . . antiqui . . . . era . . ris coniuravit . . . . . . primo hic in . . . . . .
. . . . . armata imo infra . . . . . nam . . . . m, nam erat natura iunius (?) intus
et . . . . quietus[b] pace istos l . lis . . . . severa est Sullani sa . . . .
. . . erent pecuniamque inter nu . . . cos sacerdotes . . . . . . ut ratus et . . . . . .
. . . . rae dignitatem iterum cos . . . . uirca . . . .
. . . .

XI.

. . . . . qui Antiochiam* advenerat[c][1], mortuo fratre regnavit. idem agitaverat A. U. C. 580.
bellum postea indicere Romanis, sed inhibitus[d] dicitur . . . . nis sorte . per paucis *fol. 5′.
bonis[e] magna miscebat vitia[f][3] incertae naturae[g] levitatisque summae[h] . . .
. . . . commissabundus[i] venire, ad symphoniam nudus saltare[4], per balneas

a) *ita comicio scribendum.* b) *an* inquietus? c) cum Antiochiam advenerat *M.* d) inhibitus *M.* e) bonis *M.* f) vitia *M.* g) naturae *M.* h) summae *M.* i) commissabundus *M.*

1) scil. Antiochus IV, Epiphanes (580—591); videtur autem fragmentum hoc, id est folium V, quum res a. 580 sqq. gestas contineat, non tam libro XXXVI quam XXVIII attribuendum esse, ita ut locum suum statim post fol. XI obtineat. Attamen, quum secundum patrem numero XXXVI, si vero nostram lectionem sequimur numero XXXVIII, signatum sit, nos alii loco inserere illud noluimus.

2) Seleuco IV, Philopatore, qui a. 568—580 (186—174) regnum Syriae obtinuit.

3) cfr. de eo Polyb. lib. XXVI cap. 10 (apud Athenaeum V, 21 et X, 52); Liv. XLI, cap. 24; Diodor. XXVIIII, 32 et XXXI, 16.

4) cfr. Polyb. XXXI, 4: *καὶ τῆς συμφωνίας προκαλουμένης, ἀναπηδήσας ὠρχεῖτο καὶ ὑπεκρίνετο μετὰ τῶν γελωτοποιῶν. ὥςτε πάντας αἰσχυνομένους φεύγειν*; et Diodor. XXXI, 16: *μετὰ ταῦτα τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀνεπήδα γυμνός, καὶ τοῖς μίμοις προςπαίζων ὠρχεῖτο τῶν ὀρχήσεων τὰς γέλωτα καὶ χλευασμὸν εἰωθυίας ἐπισπᾶσθαι, ὡς πάντας αἰσχυνθέντας ἐπὶ τοῖς πραττομένοις φεύγειν ἐκ τοῦ πότου κ.τ.λ.*

A. U. C. 580. publice[1] ungi[a], balneas petere vel perfusus unguento. Asturcone (?) pompam regebat[b], et ... simulabat[c] Hierapoli[2] Dianam ducere uxorem[3], et cet.... epulati .... sacro protulissent, causatus e mansis (?) ... tulit ei dotem
col. 2. ex ...... um quem unum* omnium Deae donis reliquit. Gracchi[4] iterum[d],
A. U. C. 591. de cuius paulo antea memini, consulatu[e] .... interiit nocturno. corpus eius, cum Antiochiam portaretur, exterritis subito iumentis[f] in fluvium abreptum non comparuit[g].

Has ille .... acriter gliscentis. extendit duos colossos duodenum cubitorum ex aere[h], unum Olympio, alterum Capitolino Jovi. dedicatur[i] et Athenis Olympio .... lapidem .... consuluerat; nam columnas aliquot, numero ..[k], circumdederat. aedes nobilissima Olympii Jovis Atheniensis[5] diu imperfecta permanserat ....

a) ungi **M**; fun[gi] *ut videtur cod.* b) regebat **B**; petebat *ni fallor cod.* c) simulabat **B**. d) iterum **M**; iter *cod.* e) *consulatu* **M**. f) *ita corr.* **M**; iuventis *cod.* g) conparuit **M**. h) aere **M**; media, *ut videtur, cod.* i) dedicatur **M**; deorcatur *cod.* k) *numerus desideratur.*

1) cfr. Polyb. fragm. lib. XXVI, 10 (apud Athenaeum lib. V, cap. 21): *Ἐλούετο δὲ κἀν τοῖς δημοσίοις βαλανείοις, ὅτε δημοτῶν ἦν τὰ βαλανεῖα πεπληρωμένα, κεραμίων εἰσφερομένων αὐτῷ μύρων τῶν πολυτελεστάτων.*

2) Oppidum Coelesyriae, quod et Bambyce dicitur; cfr. Plin. H. N. lib. V, cap. 23, §. 19 et lib. XXXII, cap. 2, §. 8. Secundum Appian. Syr. cap. 66. rex templum Elymaeae Veneris spoliaverat, secundum Polyb. fragm. libri XXXI. cap. 11 templum Dianae in Elymaide, cum quo consentiunt quae in libro II Maccabaeor. cap. 1, 14 legimus.

3) cfr. Maccab. II, cap. 1, 14.

4) Ti. Sempronius Gracchus a. 577 et 591 cos. fuit.

5) cfr. Polyb. fragm. XXVI, 10 et Livium lib. XLI, 20: *magnificentiae vero in Deos vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, potest testis esse .... et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus eius fuit, non perfecit.*

INDEX NOMINUM.

Numerus maior paginam, minor versum indicat; si nihil additum est, columna prior denotatur: littera *b* columnam alteram distinximus.

A.

B.

C.


D.

Cod. Mus. Britannici, Access. Nro 17212.

Fol. 6' init.



Fol. 2' versus 1sqq



A Schütze lapidi inscrips

K. Pertz scrips Londini